

**Dissertatio medica inauguralis de febre intermittente ... / Eruditorum
examine subicit Jacobus Woodman.**

Contributors

Woodman, James.
Baird, George Husband, 1761-1840.

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Adamus Neill et socii, 1804.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/t926k3nk>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

52740/p

1/P
1/1000

BW7

\$30

FEBRE INTERMITTENTE

DISERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
FEBRE INTERMITTENTE

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE INTERMITTENTE.

DISSERTATIO MEDICA

IN AUGURALIS

DE

FEBRE INTERMITTENTE;

QUAM

ANNUNTIAT SUMMO PERITE

EX AUCTORITATE VENERANDI ACADEMIAE VIRI

D. GEORGII BAIRD, S.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENSIS PRAELECTI

RECTOR

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMIAE EDINBURGENSIS

DISSERTATIO MEDICA

PRO GRADU DOCTORIS
IN AUGURALIS

COMMISSIO IN MEDICINA HONORIS AC PRIVILEGII

DATE ET LAESAE COMPLETIO

EXAMINATA ET APPROBATA

FEBRE INTERMITTENTE
JACOBO WOODWARD

SOCIETAS REGIA EDINBURGENSIS

Quid munda est? quae quae sunt?

Terre quae sunt?

Edinburgh, 1804

Printed by J. Ballantyne, Edinburgh

EDINBURGH

EXCUDERUNT ADAMUS NEILL ET SOCIJ

1804

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
FEBRE INTERMITTENTE;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETU;

PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS WOODMAN,

ANGLUS;

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

*Quid macies ægri veteris, quem tempore longo
Torret quarta dies.*

JUVENAL, Sat. viii.

Pridie Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDERANT ADAMUS NEILL ET SOCIJ.

DISSERTATIO MEDICA

IN ANATOMIA
VIRI EXIMII

DE

RICARDO POOLE M.D.
FERRIE INTERMITTENTE

OMNIBUS VIRIBUS

ASSISTENTE DOMINI

QUE VITAM RESTAURANT

D. GEORGI BAIRD, S.T.P.

ORATIONE

IN

SCOLA REGIA ANATOMICA

NOBILISSIMA FACULTATE MEDICAE

QUA FUI

PRO GRADU DOCTORIS

SEMPER DIGITUS EST

TEMINUS IN MEDICINA HONORIS ET REVERENTIAE

RE ET LEGITIME CONSERVATA

HOC PEREXI

IN ANATOMIA REGIA

ANNO DOMINI
JACOBI WOODMAN

ET C.



CONSERVATA

JACOBI WOODMAN

1864

1864

1864

1864

1864

VIRO EXIMIO,
RICARDO POOLE, M. D.

OMNIBUS VIRTUTIBUS
QUÆ VITAM HONESTANT

ORNATISSIMO,

PROPTER AMICITIAM

QUA EUM

SEMPER DIGNATUS EST,

HOC PEREXIGUUM

ANIMI OBSERVANTISSIMI

PIGNUS,

CONSECRAT

JACOBUS WOODMAN.

VIRI EXIMO

RICARDO POOL, M. D.

OMNIBUS VIRTUTIBUS

QUI VITAE ANTISSIMO

GENATISSIMO

ANDRÉE DUNCAN, M. D.

PROFESSOR ANTIQVITATIS

DE REPVBLCANAE ANTIQVITATIS

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

CONSERVAT

JACOBUS WOODMAN

D. D. D.

JACOBUS WOODMAN

VIRO SPECTATISSIMO,

ANDREÆ DUNCAN, M. D.

DE MEDICINÆ THEORIA

IN ACADEMIA EDINENSI

PROFESSORI CLARISSIMO ;

HOCCE OPUSCULUM,

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

D. D. DQUE

JACOBUS WOODMAN.

VIRO REVERENDISSIMO,

ANDREAE DUNCAN, M.D.

DE MEDICINAE THEORIA

IN ACADEMIA

CORRIGENDUM.

Pag. 18. lin. 3. *pro* reddendis lege reddendis

PROFESSORI CLARISSIMO,

HOCCE OPUSCULUM

SCRIPTUM CUM OBSERVANTIA

J. D. D.

JACOBUS WOODMAN

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE INTERMITTENTE.

HIC morbus omnes homines, eos verò qui mediæ sunt ætatis, sæpiùs quàm infantes, aut senes ; utrumque quoque sexum, valentiores, et robustiores, plerumque autem debiliores, aggreditur.

In locis humilioribus, ac palustribus, nullus frequentior, nec majorem medici curam requirit. Nos CULLENI definitionem, tanquam

A

brevissimam,

2 DE FEBRE INTERMITTENTE.

brevissimam, ac maximè perfectam, in hac re sequi volumus. “ Febres miasmate paludum
“ ortæ, paroxysmis pluribus, apyrexîâ, saltem
“ remissione evidente interpositâ, plerumque
“ cum horrore redeuntibus constantes, pa-
“ roxysmo quovis die unico tantum.”

Febrium intermittentium plures sunt species. Tertianæ scilicet, Quartanæ, Quotidianæ.

Quarum uniuscujusque quoque plures varietates; veluti, tertiana duplex, vel cùm paroxysmo uno quovis die, et quorum, qui alternis diebus fiunt, similes sunt, vel cum duobus paroxysmis quovis die. Tertianæ triplex, cum duobus paroxysmis primo quovis die, atque uno solum die proximo. Quartanæ duplex, cum paroxysmo altero die primo, atque altero die secundo, nullo autem die tertio. Atque eadem cum duobus paroxysmis die primo, nullo diebus secundo et tertio, duobus autem quarto. Quartanæ triplex,

plex, vel cum tribus paroxysmis quovis die quarto, vel cum uno tantum paroxysmo quovis die; in his autem paroxysmi qui quarto quovis die fiunt similes sunt.

Tertiana regularis, post quadraginta octo horarum intervallum, circiter meridiem plerumque redit. Quartana autem, post elapsas septuaginta duas horas, et post meridiem, recurrit. Quotidiana expletis viginti quatuor horis, et semper manè, iteratur. Reliquas intermittentium species silentio præterire volumus; quia haud accuratè adhuc spectatæ sunt, nec sæpe occurrunt, atque pro varietatibus illarum quas jam memoravimus à medicis habentur.


A SYDENHAMIO, in vernas et autumnales distinguuntur intermittentes; quarum illæ à solstitio Hiberno, ad æstivum; hæ autem ab æstivo ad Hibernum, conspiciuntur. Hoc discrimen haud parvi momenti habendum est; quoniam ex morbi asperitatis varietate ducitur;

4 DE FEBRE INTERMITTENTE.

citur; atque medendi methodum multum afficit.

Stadium quartanæ frigidum longiùs quàm tertianæ; hujus verò stadium longiùs quàm quotidianæ est. Omnium harum stadia calida, ordinem prorsùs contrarium sequuntur.

Quotidianæ quamvis stadium frigidum brevissimum sit, stadium tamen calidum, atque paroxysmi, longiora sunt. Quartanæ, stadium frigidum est longissimum, atque calidum brevissimum, tertianæ inter utrumque.



DE PAROXYSMORUM, STADIIS FRIGIDIS, CALIDIS ET SUDANTIBUS.

ÆGROTUS appropinquante paroxysmo, languorem sentit, ac lassitudinem sæpe cum oscillatione, et membrorum extensione, qualis somnolentis

somnolentis occurrit. In quartana corporis extremitates quasi contusæ, seu læsæ sentiuntur; frigoris sensus, aquam per dorsum fusam, vel insectas ibi repentes referens, nascitur, et per totum corpus diffunditur; æger de frigore multum quæritur, licet ab aliis calidus esse percipiatur. Facies pallida fit; extremitates contrahuntur, atque si ulcera adsint, exarescunt. Frigoris sensus horrorem inducens multum augescit. Nauseæ, quæ ab initio adfuit, succedit vomitus; capitis, dorsi, et lumborum dolores, nascuntur; affectiones spasmodicæ tibiæ, et circa pedes, dum extenduntur, nonnunquam occurrunt. Respiratio difficilis, molestaque fit, comitante pulsu debili, frequenti, atque irregulari. Redditur urina pallida atque limpida. Hæc indicia nunc breviora nunc longiora sunt. Rigores frigidi tandem relaxantur, frigoris sensus cum faciei suffusionibus calidis alternatur, donec paulatim evanescat atque stadio calido locum det.

Postquam

6 DE FEBRE INTERMITTENTE.

Postquam stadium frigidum aliquandiu permansit, paulatim imminuitur, eique calor per totum corpus diffusus, pulsus creber, durus et plenus, vultus suffusiones, dolor capitis, nonnunquam comitante delirio, succedunt. Respiratio minus difficilis, licet anxia. Sitis, cum lingua sicca et alba. Urina reddita solitò rubrior, sine sedimento autem, fit. Hæc indicia paulatim minuuntur, iisque succedunt sudores circa frontem, qui per totum corpus sparguntur. Post aliquid tempus, sudor minuitur, appetitus redit, et reliquæ functiones, in priorem conditionem transeunt: atque, languore et debilitatis sensu exceptis, ægrotus solita valetudine fruitur. Hæc autem, nisi medicamentis morbus pulsus fuerit, haud diu manet; quoniam aliter paroxysmi, secundum varietatem intermittentis, redeunt, atque eundem cursum peragunt.

DE PROGnosi.

PROGNOSIS præcipuè pendet à vi et duratione paroxysmorum, à remissionibus longioribus atque imperfectis, tempore quo morbus permanset, atque cœlo sub quo existit. Intermittentes quoque vernæ autumnalibus mitiores censentur. Febrim autem majus periculum in regionibus calidis, quàm frigidis, comitatur; quoniam illic, magnæ debilitatis indicia, bilis vomitus, atque obstructiones organicæ, sæpiùs occurrunt: quanquam in regionibus etiam frigidioribus periculum est, præcipuè si diu extiterit, ne inde aliorum morborum, veluti anasarçæ, ascitis, atque aliarum hydropis specierum, jactum fuerit fundamentum.

Symptomata,

Symptomata, quæ prognosin felicem indicant, sunt sequentia. Si ab initio paroxysmi lenes sint, est boni ominis : vel si primo violenti, mitiores facti fuerint, indicium est adhuc melius. Quum paroxysmi post certa intervalla redeunt, nec ultra duodecim horas manent, eadem morbi abituri spes est. Secundum sententiam Doctoris ROLLO, eruptio circum os, atque aures, labii superioris tumor, abeunte paroxysmo, occurrence prosperam valetudinem redeuntem indicant ; eadem autem, conjuncta cum aliis indiciis infelicibus, periculum augent*.

Paroxysmi seriùs diebus solitis existentes morbum remediis cedentem monstrant.


Inter symptomata, e contrario, quæ exitum infelicem indicant, enumerari possunt sequentia : Febris ad continuam magis accedens,

* Dr ROLLO's Observations on the Diseases of St Lucia.

dens, magna debilitas, ad putredinem proclivitas. Delirium, coma, subsultus tendinum, anxietas, pulsus debilis atque irregularis, facies collapsa, respiratio crebrior, suspiriis, et gemitu interrupta, singultus, præcipuè alterno vomitu comitante, alvus astricta, abdomen tumidum, durum et molestum tactu. Secundum SYDENHAMIIUM præterea, tonsillarum tumores, lingua atque fauces immundæ, diarrhœa colliquativa, præcipuè cum odore fœtido, morbi eventum infelicissimum indicare videntur. Bilis vomitus quoque in regionibus calidis, mali ominis est.

De prognosi à typo ducta, breviter observare licet, quartanam, tertianâ tutiorem esse, atque hanc quotidianâ, cui postremæ periculum inest, prout plus minùsve continua fuerit. In apyrexia, prognosis erit secundum injuriam corpori illatam. Viscerum obstructions hunc morbum comitantur. Secundum harum locum aut vim, spes recipiendæ prosperæ valetudinis gubernatur. Hujusce mor-

bi exitu infelice existente, ægrotus in stadio morbi frigido, rarò autem in calido aut sudante moritur.



DE SECTIONE CADAVERUM.

HÆC res in febribus intermittentibus, æquè ac in aliis plerisque, haud magni est momenti; ex incisione enim cadaverum vix ulla hujusmodi phænomena morbida conspectui objiciuntur. Quibusdam autem in exemplis, ventriculus, intestina, lien, hepar, et quædam alia viscera, morbida reperta sunt.

Ventriculus inflammatus, et nonnunquam gangrænâ, et maculis, forsitan propter bilem acridam nascentibus, obsitus fuit.

SENAC ægrotorum exempla tradit, qui propter ventriculum nimis distentum obierunt ;

DE FEBRE INTERMITTENTE. II

runt; de qua re igitur a medico cavendum est.

MORGAGNI memorat puerum hoc morbo mortuum, cujus intestina sicca, atque, bile presente, contracta fuerunt.

Lien quandoque grandior factus, et induratus; unde *libum* intermittentis vocatur.

Secundum sententiam WILSONI, talis affectio, in remittentibus biliosis regionum calidarum, sæpe occurrit*. Pueri quàm adulti ei, secundùm STRACK, obnoxiores sunt.

Lien hoc modo induratus, à CLEGHORN, magis sanguinem coagulatum quàm corpus formatum referre; atque nonnunquam ponderis quatuor aut quinque librarum fuisse, dicitur. Idem medicus quoque sese vidisse, ferè centum cadavera ægrotorum, hoc morbo laborantium,

* Vide WILSON on Febrile Diseases.

rantium, atque semper aliquam partium adiposarum ventris inferioris, veluti, omentum, mesenteriam, colon, &c. fusci coloris, reperiisse tradit. Hepar aliàs solitò grandius atque induratum, coloris flavi, propter bilem qua tingitur, atque sanguinis plenum; aliàs verò coloris albi, magnitudine justò minore, redditur. Glandulæ mesenteriaë, in pueris præcipuè, sunt quandoque magnitudine auctæ, obstructæ et indurataë, atque pancreas auctum et induratum. Fellis vesica bile distenta est, cujus copia nimia in intestinis reperta est.

Thoracis viscera nonnunquam morbida, inflammationis quoque vestigia in pleuris atque pulmonibus notantur, atque hi ipsi molles, atque gangræna affecti. Capitis quoque, licet rariùs quàm aliarum partium, morbi occurrunt.


DE CAUSIS REMOTIS.

MORBI causæ prædisponentes multæ censendæ sunt. Sub hoc capite, quæcunque corpus debilitant, sicut labor nimius, vini ingurgitatio magna, victus justò tenuior, contineri possunt. Hoc inde verisimilè fit, quod pauperes, loca palustria habitantes, quàm divites, huic morbo obnoxiores esse reperiuntur. Morbi alii præcedentes, quia corporis vigorem minuunt, atque ideò intermittentibus magis subjiciunt, inter causas prædisponentes enumerari possunt. Nonnullæ tempestatis conditiones, ad eundem effectum spectant. Febris, propter Euri sufflationem sæpè rediens, hoc probat.

Causæ excitantes quoque, à multis scriptoribus, licèt forsitan perperàm, plurimæ esse censentur.

censentur. Loca humida, palustria ac fluminum ripas incolentes, huic morbo proclives reperiiebantur; unde humiditati soli, febris ipsa tribui solebat. Nautæ autem, atque monticolæ, aëri humido atque nebuloso sæpè obijiciuntur, morbi verò manent immunes. LANCISI igitur primus hunc morbum materiæ cuidam peculiari, ex iis locis orienti, tribuit; cujus sententia verisimilis esse videtur. Ex rebus enim, quas supra diximus, *miasma* huic morbo originem præbere videtur.

Hoc plus adhuc inde confirmatur, quòd in nonnullis locis, in quibus sæpè extiterunt intermittentes, rarò propter paludes vicinas exsiccatas nunc reperiuntur; sicut in hac ipsa Urbe evenit, in qua, propter loca cultiora facta, præcipuè verò propter aquas stagnantes in vicinio abductas, ferè incognitæ sunt; nisi in iis hominibus qui ex regionibus paludosis, in quibus abundant intermittentes, advenerunt.



DE CAUSA PROXIMA.

NULLI ex variis theoriis, quæ à tempore HIPPOCRATIS prolatae sunt, assentiri possumus. A BOERHAAVIO, causa proxima intermittentium, lentor aut visciditas sanguinis in vasis extremis stagnantis, esse censetur. Ab aliis materiae pestiferæ introductæ aut genitæ in corpore tribuitur. A multis autem medicis, secretioni auctæ, aut bili vitiatæ, imputatur. Bilis redundantia, in intermittentibus atque remittentibus regionum calidarum, huic theoriæ originem dedit. Theoria autem de hac re, præcipuè apud medicos recentiores recepta, illa fuit ab HOFFMANIO inventa, atque à CULLENO emendata, cui tamen multa adversari videntur. Nova denique opinio à Doctore WOOD prolata est, quæ


quæ æquè tamen conjecturalis. Secundum hanc opinionem, febris, propter accumulata carbonem atque hydrogenium, ideóque ob minutum oxygenium atque mobilitatem exhaustam, nascitur.

Nobis, autem, cerebrum atque genus nervosum, primò, in hoc morbo affici, verisimilius esse videtur*. Hoc igitur omnium phænomenorum ejus causam, atque ea affectione remota, morbum abiturum censemus.

Talem esse causam proximam, inde, quòd morbus, subitis, violentis, atque ingratis impressionibus, in genus nervosum factis, removeatur; atque quòd remedia, quæ hoc incitant, sunt ea quæ generaliter, non localiter agunt, inferri potest.

DE

* Aud. prælect. clin. Doctoris DUNCAN.



DE METHODO MEDENDI.

HÆC duobus modis, scilicet remediis durante paroxysmo, ac deindè dum fit remissio, adhibendis, peragenda. Paroxysmi omni cura levandi, curatio autem à remediis, iis cessantibus, adhibitis pendet; ac primò,

De Remediis in Stadio Frigido præbendis.

PAROXYSMI, igitur, incipientis, omnia levanda sunt symptomata. Ægrotus in lecto calido ponendus; potus calidi diluentes ad sitim extinguendam, non autem ventriculum opprimendum, propinandi. Balneum quoque calidum, et rectè forsitan, à quibusdam medicis laudatur. DOCTOR JOANNES HUNTER, Mauros, atque alios insulam Jamaicam incolentes,

lentes, per intermittentium stadia frigida soli expositos, levare tradit. Emetica in brevioribus redendis paroxysmis, commoda reperiuntur. Emetica antimonialia vulgò in usu sunt, atque inter ea tartris antimonii optima, nostro iudicio, habenda. Vomitu suâ sponte occurrente, calidi potus diluentes plerumque sufficient.

Fricção atque alia stimulantia dorso nonnunquam applicantur. Comatis atque delirii indiciis magnis existentibus, caput radendum, eique emplastrum meloës vesicatorii, applicandum*.

Nonne, paroxysmo calido incipiente, electricitas corporis superficiei, præcipuè verò dorso, utiliter applicari possit?

Compressio ad femoris vasa, paroxysmi
initio,

* Vide WILSON on Febrile Diseases.

initio, adhibita à Doctore KELLIE laudatur, atque indè finitum paroxysmum memorat. Hoc autem conspectui nostro nunquàm ob-
jecto, de ejus virtute loqui nequimus.

De Remediis in Calido Stadio præbendis.

Hoc febris stadium, si fieri possit, brevius redendum, atque sudor eliciendus. Huic usui inserviunt diluentia, atque remedia varia sudorifica, veluti quædam antimonii præparaciones, oxidum antimonii cum phosphate calcis, (olim JACOBI Pulvis), tartaris antimonii, et ipecacuanha, in dosibus nauseam excitantibus. Opium feliciter quoque, paroxysmo calido incipiente, in auxilium vocatum; vis enim ejus relaxans. Vasorum extremorum spasmum tollit, atque inde sudorem inducit. Solum incommodum hinc oriens est alvi astrictio, cui facilè cathartics lenioribus, eodem tempore cum opio, aut post, adhibitis, occurri potest.

Refrigerantia

Refrigerantia eidem rei usui sunt; præcipuè verò julepus salinus, qui non solùm refrigerans est, sed quoque diaphoreticus. In adolescentibus robustioribus plethoricis, cum diathesi phlogistica, venæsectio maximè in vernis intermittentibus, in quibus adsunt pulsus durus, epistaxis, atque faciei suffusiones, necessaria fit.

SYDENHAMUS, qui plerumque venæsectionem laudat, quartanam in junioribus, quæ aliter sex mensibus finita fuisset, ad duplum tempus protractam, atque in senioribus non solùm protractam, sed quoque summum vitæ periculum inde inductum, memorat. Summa igitur cura in hac re adhibenda. Si stadium calidum diu permanserit, atque viscera oppressa fuerint, catharticum lenius, maximè autem in apyrexia, adhibendum.

Antimonium atque ipecacuanha utilia ad vomitum excitandum. Eidem rei inservit sub-murias hydrargyri, quod in omnibus febribus


bribus in usu est apud medicos regiones calidiores incolentes, atque à Doctore LYONS in intermittentibus laudatur*.

Si æger magnoperè debilitatus, atque causa irritationis præcipua in intestinis majoribus fuerit, clysteres in auxilium vocandi.

Stadio calido formato, potus frigidi ab ægro sumendi, nisi adsit diathesis phlogistica, in qua illi negandi; quia ventriculi aut pulmonum inflammationem inducere possunt; sub cœlo autem calido ferè semper utiles sunt.

DE

* Dr LYON'S Treatise on the use of Camphor and Calomel in Fevers.



DE STADIO SUDANTE.

IN hoc morbi stadio, medicamenta, nisi sudor solito longius permanserit, aut nimius fuerit, quibus rebus per acidum sulphuricum aromaticum occurrendum, necessaria haud sunt.

Stragula minui, atque ægrotus aëri frigido exponi possunt. Sudori generali factò nunquàm indulgendum.

Diluentia nutrientiora, veluti jura cardiaca leniora et jelletæ, auxilium præbent. Æger, statim post sudorem abeuntem, aëri frigido haud exponendus, lintea, ne corpus propter stragulorum humiditatem frigescat, mutanda.

DE CURATIONE IN APYREXIÆ TEM-
PORE.

HÆC curationis pars maximi est momen-
ti; nam à remediis eo tempore adhibitis, at-
que aliis rebus observandis, curatio tota præ-
cipuè pendet.

Primò igitur, unaquæque causa incitans,
atque prædisponens vitanda. Ægrotus, ab
humilibus et palustribus locis, ad altiora,
propter aërem, removendus.

Itali, per tempora anni, quibus abundat hic
morbus, à palustribus regionibus vicinis Ro-
mam adeunt. Fumus urbium proculdubiò
vim miasmatis paludum minuit. Diæta atque
exercitium minimè negligenda. Præsente
diathesi

diathesi phlogistica victus tenuis utilis, præcipuè lac et fruges ; liquores fermentati nocent. Aqua, aut decoctum aliquod vegetabile, potandum. Corpore autem debili redito, victus plenus et maximè nutriens, qui minimè irritat, atque concoctu facillimus, sumendus est. Pulli gallinacei, et agnina, facilius bubulâ atque ovillâ concoquuntur.

Vinum, præcipuè verò coloris rubri, potandum. Ex liquoribus fermentatis, cerevisia, Anglicè *Porter* appellata, apud nos nunquam præbetur.

Præsente dyspepsiâ, major cura victus adhuc opus est. Vitanda sunt sequentia, scilicet, succi, atque jura pinguiora, cibus animalis exsiccatus, caseus, atque omnia quibus inest butyrum, aut res quævis alia oleaginosa. Potus calidi, vel frigidissimi atque mucilaginosi, veluti aqua hordei aut avenæ, farinâ tincta, cerevisia tenuis, &c. Cibi quantitas quoque æquè ac qualitas spectanda. Ægroto sæpe

sæpè et parce edendum, hoc magis necessarium fit, quia in dyspepsia appetitus sæpè morbidè augetur. Exercitium et animi et corporis, secundùm vires ægroti, regendum.

Corpore magnoperè debilitato, frictio est remedium optimum, hoc exercitio, præcipuè, Asiatici ditiores et nobiliores gaudent. Apud Græcos et Romanos, luxui deditos, quoque invaluit. Ægrotò paulum firmiore factò gestatio utilior.

Navigatio est gestatio lenissima, atque maximæ utilitatis in ægrotis debilioribus; præsertim si ventriculus atque intestina debilitentur, hoc remedium laudatur*.

Equitatio quoque utilis censetur; si autem æger fuerit valdè debilis, vehiculum adhibendum.

* Dr GILCHRIST'S Treatise on the use of Sea Voyages in Medicine.

bendum. Jactatio per funiculum, aut cathedram, locum vehiculi supplere potest. Si verò æger equitationem sine fatigatione sustinere valeat, tale exercitium omnibus aliis anteponendum.

Mens quoque æquè ac corpus ritè exercenda, hoc ita efficiendum, ut illa non nimio labore fatiscat.

Spe atque expectatione, unumquemque paroxysmum ultimum futurum, in morbis hujuscemodi, magnoperè sustinetur animus. Amicorum quoque societas, et sermo grata solùm et jucundiora proferentium, atque omnia ingrata ac tristia amoventium, huic usui inservire possunt. Mens, morbo antea depressa, re quavis jucunda juvatur. Sic gravitas mentem cœli premit; levitas ejus alacrem elatamque facit.

Deinceps, de curationis parte præcipua,
scilicet

scilicet medicamentis, quæ in apyrexia necessaria sunt, dicendum.

Ex iis, cinchona officinalis maximè laudatur. Hujusce medicamenti vires salutare medici ferè omnes agnoscunt, nec prejudicia de eo concepta diutiùs existunt. De tempore autem apyrexiaë quo præberi debet, inter eosdem non convenit. A multis, statim post paroxysmum, atque per brevia intervalla donec redit febris, parvis dosibus præbetur; ab aliis autem, idem fit per paucas horas solùm ante paroxysmi adventum, atque dosibus majoribus. Hoc multùm à statu ventriculi atque apyrexiaë duratione pendet. Si brevis sit apyrexia, prior medendi methodus forsitan sequenda; si autem longior fuerit, posterior melior habenda. Utraque verò methodus meliùs forsitan conjungi potest, dosibus parvis post paroxysmum adhibitis, atque appropinquante eodem paulatim auctis. Quantitas cinchonæ, in singulis dosibus, secundùm malignitatem morbi, atque secundùm

dùm præsentiam plethoræ aut debilitatis, augenda aut minuenda. Cinchona in pulverem redacta feliciùs præbetur; in hac autem re, secundùm effectum in ventriculum genitum, dirigi debet medicus. Hoc enim medicamentum in ea forma qua minimè læditur ventriculus, adhibendum.

Præter cinchonam officinalem, aliæ utiles censentur, veluti cinchona Jamaicensis, cinchona Caribæa, angustura, Swietenia febrifuga, cortex salicis albæ; hæ enim omnes in fugandis febribus intermittentibus utiles repertæ sunt. Cinchonæ effectum quoque adjuvare censetur aristolochia serpentaria. Plures res amaræ atque astringentes adhibendæ sunt; quassia excelsa, artemisia absinthium, centaurea benedicta, anthemis nobilis, gentiana lutea. Multa quoque aromatica, e. g. camphora, myrrha, moschus, sunt remedia satis idonea.

Arsenicum

Arsenicum effectus, forsitan, fortiores quàm ullum aliud remedium in hoc morbo adhibitum, parit. Ante usum ejus in medicina frequentiore, ab empiricis diu felicissimè præberi solebat. Partem composuit medicamento empirici*, quod, propter effectus ejus salutare in intermittibus, medicorum attentionem jurè sibi vindicavit, et ab iis nunc laudatur, atque in usu generali est; non autem, nisi summa adhibita cura, præbendum. Solutio arsenici albi, à Doctore FOWLER parata, præparatum est hujus medicamento usui maximè accommodatum. Hujus guttæ duodecim pro dose adultis concedi possunt. In morbo enim ventriculi atque intestinorum, capitis dolor, sudores, et tremores, parvis etiam ex dosibus ejus, quamvis cautè datis, oriri solent. Hæc vitia occurrentia, solùm ablato arsenico, aut opii parvis dosibus cum eo conjuncti, aut remediis laxantibus atque emeticis præbitis, removeri possunt.

Plura

* Ague Drops.

Plura sunt medicamenta præterea vulgo hominum satis nota, quæ motus animi violentiores, scilicet horrorem, metum, et similes, excitant. Illa maximum effectum accedente paroxysmo pariunt : quo tempore quoque idem brevior, aut multò mitior, balneo calido, potu tepido, vestimentis calidioribus, aut emeticis, reddi potest. Opium, magnâ copiâ, sub ipso paroxysmi initio, adhibitum, cùm ægrotus de sensu frigoris in dorso quæritur, atque bis aut ter brevibus intervallis iteratum, morbi progressui sæpissimè occurrit. Pulso etiam morbo, eadem remedia aliquandiu sumenda, victusque nutriens ac plenus, corporis exercitio addito, esse debet ; ægerque ad locum altiorem, si fieri potest, removendus. Si vel minimum morbi redeuntis periculum sit, statim ad cinchonam recurrendum ; atque frigus, et omnes causæ morbi excitantes, atque prædisponentes, ab ægroto vitanda.

F I N I S.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text appears to be organized into several paragraphs.

171

